Auditores Venerandi, non sesamo qd. elegantiarum et papaver, sed simplici sanctoq; devotionis flore sparsa fercro. Quod ubi aggressurus sum: profanos oēs, et impuros, pfanas aures, profanas linguas, profanas mentes, manusq; impuras, ne qd forte inauspicati et ominosi, aut impuri, aut obsceni, neve etalia mala scena sacra hec Natalitia interturbet, l. obscoenet, procul hinc arceo, et eqē serio jubeo: desine pacem DEI demissis expostulo votis. Vestram deniq;, A. V. et aurium et linguarum faventiam ea, quā par ē, observantia; veniaq; pfatione exoro. Mactī, qso, estote aequanimitate ac humanitate vrā, inq; bonam partem, quicunq; dixero, accipite, rem potius, in qua versabor, quam quo in illa ptractanda edisserendaq; artificio utar, respicituri.

Linguis omnibus et favete votis,
Natalem colimus. Tacete lites:

Nimirum Natalem pace tuā, Piissime JESU, autor illius et ōēs mysti venerande, pace et vestra, Sanctissimi Spiritus, nostrarum arbitri vocum et censores optumi; vestrā deniq; pace, Auditores oium ordinum Honoratissimi, in Parnasso hoc nostro recolimus. Recolimus Natalem non opulenti alicujus causidici cum parasitastro Poëta; non divitis alicujus epulonis cum sportularum captatoribus; non Patroni alicujus cum misera clientulor turba; nec et Principis alicujus aut herois, aut clari viri cum Claudiano, Horatio, Statio. Recolimus Natalem non Divi Romuli, non Servii Tullii, non Jul. Caesaris, non Tiberii, non Alexandri Severi cum gente Togata. Recolimus Natalem non Augusti cum Jul. Antonio Praetore, aut Eqtibus Romanis; non Domitiani, q et Jovi Cretico sacer, cum Valerio Martiale; non Trajani cum Plinio; non Maecenatis cum Flacco; non Herodis cum adulatoria Herodianorum turba. Neq; en. superstitiosa recolimus sedulitate Natalem Epicuri cum effoeminatis ejus disciplinae sectatoribus; nec Virgilii cum Silio Italico; neq; Socratis cum universa Athenarum urbe, neq; cum tota Siculorum gente Timoleontis. Nihil en. hodie moramur Martyrum Natales: quos solenni devotione prisca recolebat Ecclesia. Sed istis omnibus diversis diversorum Natalibus impraesentiarum valere jussis, quod felix, faustum, fortunatumq; sit, Natalem JESU CHRISTI, omnipotentis DEI Filii, Regis Regum, Servatoris nostri unici, mille abhinc sexcentis septuaginta septem annis felici auspicio in hunc orbem nati recolimus. Natalem verè faustum, fortunatum, sacrum, et reliqs oibus Natalibus potiorem et prstantiorem recolimus. Principem Natalium oium et lustratorem suadente tempore, docente antiquitate, jubente pietate recolimus. Recolimus a. hunc hodie, vobis ut video, oibus approbantibus, ac ipsis ut confido, sanctis Angelis applaudentibus gaudentibus. Et qdni sanctissimum hunc, maximumq; oium dierum recoleremus? Cur eundem eo, quo par ē, studio ac cura non celebraremus? Nam si Divum et mortaliū Natales accuratā adeo industria, insigni devotione, et pura castaq; sanctimonia colere et observare fas erat, l. uno